

qui cuncta Majestatis suæ verbo fieri jussérunt: (quippe qui omnia totius universi momenta hactenus summo numine atque providentia gubernavit, eritque, ni fallor, posthac sustentaturus); tamen, quoniam et ipsius naturæ ratio postulare, et quotidiana quoque experientia contestari videntur, corpora, quæ organica appellari solent, in præsentí rerum statu necessario pendere momentis, quæ ad vitam excitandam sustentandam maxime sunt necessaria, et sine quibus vita cogitari nequit: non est insitiandum, quin aut forma, habitu atque magnitudine, aut partium denique singularium continentia exsistendique modo possint mutari individua ejusdem speciei, ut ipsa illa momenta, quorum efficacia individua erecta, delataque sibi principia vitae prosecuta, ad summum usque vitae fastigium sunt enixa, momentaneis fere mutationibus affici videmus.

In his tamen vegetabilia primum sibi vindicant locum. Nam cum vegetabilia, quæ vita magis externa gaudere videntur, adeoque mutationibus magis obnoxia, non modo vicissitudines aëris coelique, sub quo nascuntur, temperiem pati; sed etiam circumstantiis locorum ipsiusque, cui hærent, soli duritie magnopere affici animadvertisimus: non est mirandum, si tot agitata tempestatibus, tot retardata universi obstaculis, tot denique naturæ virium repressa lu-